Illustris. ac Nobiss. Vir.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Quanquam convalescenti animus sit tibi serviendi, imo te inserviendi, quod imbecillitas virium prohibet: in eum tamen scopum perpetuo contendo, ut votis tuis quantum potis satisfaciam. Interea vero obvenit mihi occasio amico serviendi, quod sine tua gratia ac favore speciali fieri omnino nequit. Tres enim personæ ad officium Prætoriæ dignitatis, jam sesquialtero mense vacantis, a Senatu nostro collatis suffragiis nominatæ, ac suæ Celsitudini ad delectum habendum, oblatæ sunt. In hoc numero unus Jodocus Duyst van Voorhoudt, mihi et veteri necessitudine, et amicorum commendatione percharus est: cui ego hanc provinciam, suffragante apud suam Celsitudinem gratiæ tuæ favore, atque interprete commendatione omnimoda, collatam summis animi votis expecto! Vir spectabilis est in Senatu nostro: bene literatus; quippe Scholarum nostrarum vigilantissimus Studiosissimusque aliquot annis Rector: familia antiqua et apud Batavos celebri oriundus: ingenua generosi pectoris honestate, ac gratissima vitæ consuetudine bonis omnibus charus: cui optimatum civiumque omnium benevolentia singulariter favere videtur. Inter cætera vero est, quod me, meosque specialiter attinet: nimirum ut hac rerum tempestate, atque

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 13
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2655b

Hoc statu, cum saepius non omnes Rempub. agentes recte fa-
ciunt; et heteroclitorum capitum variae opiniones, atque inof-
ficiosae sententiae, tranquillitati et modestiae nostrae pro-
cellas frequentiores minari videantur: ille discretione
opportunior, et civili necessitudine commodior, atque be-
nevolentia officiosior, civibus suis bonum publicum aman-
tibus patronus esse possit. Tu vero Nobiliss. Hugeni,
quantum favoris ac benevolentiae, hac in re, amico praesti-
teris: tantum in Bannium tibi obsequentissimum, cum de
foenore collatum experturus es, ut eundem tibi nunquam
magis obstringere possis. Nec id solum est: verum etiam
quod clienti tuo beneficium impenderis, id ipsum amico huic,
gratissima mente praedito, non otiose collocatum esse senti-
es. De musica vero ut obiter aliquid insinuem, omnes ner-
vos intendam, ut libros institutionum, pro ut coram con-
diximus, absolvam: quorum seriem sic fragantibus viribus
brevi tibi exhibere spero. Vale. Harlemi VII. Idus Martias
CIↃ.IↃC.XLI.

Tuus Servus

Jo. Albertus Bannius 1641

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 13
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2655b

Illuſtri ac Nobiſſ.
Viro.
D. Conſtantino Hugenio
Equiti, Domino in Zu-
licom Suæ Celsitudini
a Conſilijs atq; Secretis
Hagam Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 13
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2655b